



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

Baluze, Etienne

Parisiis, 1680

Leonardi Aretini oratio in funere Nannis Strozæ Equitis Florentini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14718

& testimonium scriptis perhibuit, & scimus quod verum est testimonium ejus.

XXIX. Lætare igitur Salvaniensis Ecclesia mater bona, gratulare & jubila, dilata locum territorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos. ad dextram enim & ad lavam penetrabis, & semen tuum montes hereditabit. Gaude & exulta in Domino Deo tuo, quia dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit, dumque thymo pascentur apes, dum rore cicadae, semper honos nomenque tuum laudesque manebunt, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui vivit & regnat Deus per omnia secula seculorum. Amen.

Explicit tractatus de conversione Pontii de Larazæ & exordii monasterii Salvaniensis vera narratio.

ELOQUENTISSIMI VIRI

Leonardi Aretini oratio in funere Nannii

Stroze Equitis Florentini.

Lex fuit vetusta Solonis, ut opinor, sapientissimi viri, à sapientissima quoque civitate comprobata usu atque recepta, ut qui cives pro patria bellando interissent, iis postea domi publicum exhiberetur funus cum magnificentissimo tum rerum apparatu, tum etiam verborum. Res quidem etiam ad pompam funeris accommodatæ, verba autem ad laudum eorum qui interierant explicationem. Prohiberetur & illorum natis eadem lex, ut quasi publicam civitatis sobolem publica educatione & curâ atque omnium rerum indulgentia civitas eos prosequeretur. Providentissima certè atque optima lex dignaque Solonis auctoritate, qui & sapiens fuit unus è septem. Quæ enim utilior quæve honestior lex excogitari potest, quæ & honore allicit homines

ad patriam defendendam, & casum parentum levat orbatorum cura suscepta? Plerunque enim quamvis fortes viros à periculis revocare solet non tam sui ipsius formido quam filiorum respectus, maximeque parvulorum, quos desertos facere orbatosque relinquere velle contra naturæ quodam modo legem videtur esse, quæ quos ipsi genuimus alendos nobis tuendosque præscribit. Nec justitia verò nec gratitudo major esse ulla potest quam qui propter patriam orbatii sunt, eos filiorum loco à patria suscipi; ut non detrimentum filiis gloriosa parentum mors, sed amplitudinem & augmentum videatur attulisse. Hujus celeberrimæ laudatissimæque legis memoriam renovavit nunc mihi gloriosissima mors clarissimi viri Nannis Strozæ Equitis Florentini, qui hoc bello quod adversus Mediolanensium Ducem civitas nostra Venetique nunc gerunt bellando interiit, natosque reliquit ætate parvulos, parentis cura destitutos atque orbatos, caritatem patriæ anteferens natorum caritati; ad cujus fatum quoniam illa concurrunt omnia quæ Solonianæ legis providentia sanxit, cuncta nimirum sibi natisque exhibenda censemus, merito quidem atque optimo jure. Quis enim propior legis casus evenire potest? Sed de funeris quidem publici honore natorumque educatione & cura ii qui possunt & debent, ut spero, providebunt. Laudationem verò illius merito congruentem nos interim parare illi juxta legem conemur; quæ ita scribetur à nobis quasi in ipso funeris extremo dicatur oratio.

Iubemur nunc ad funeris honorem summo huic viro præstitum verborum insuper commendationem adjungere, quò rebus honestatus magnificè, verbis ornatus insigniter, cunctis à patria cumulatissimè persolutis fatalem viam feliciter gradiatur. Circumspecta quidem legislatoris mens & multifariam lau-

danda provisio. Ornatu quippe verborum magnificentiæ rerum adhibito & viventium gratitudo conspicua fit, & defuncti virtutes & opera quasi splendore quodam illustratæ patefcunt, & propinquorum mœror pro rerum gloria delinitur. Mihi verò potissimum hoc laudandi munus esse commissum haud quaquam gravarer si tantum ingenii facultatisque adesset ut huic amplissimo generi dicendi satisfacere possem. Sed intelligo pro dignitate id facere difficillimum esse nec nisi à summo ingenio summaque eloquentia tentandum, præsertim cum in laudatione funebri & publica civitatis quoque laudes admisceri conveniat, civitas autem sublimiorem quendam, ut ita dixerim, sonum ac magnificam dicendi præstantiam flagitet, nec est cujusvis ista præstare posse, sed peritissimi rerum hominis ac genere ipso dicendi facundiaque eminentis. Nam laudatio quidem omnis si languidior sit, permultum illis ipsis detrahit quos laudare velis, & periclitatur eorum existimatio in laudatoris peritia; ut satius interdum sit omnino tacere quàm imperitè commendationem dixisse. Accedunt eorum qui audiunt voluntates toto judicio inter se dissidentes. Nam benevolentia quidem affecto nihil videtur satis, invidus verò ac malivolus auditor cuncta quasi plus nimio superlata contemnit; ut in tanta varietate hominum impossibile quasi sit multitudinis auribus moderari. Sed me, licèt has difficultates minimè ignorantem, cum benevolentia hominis, tum patriæ jussus auctoritalque pervicit ad hæc ut potero transigenda. Precor autem atque obtestor omnes qui audituri sunt ut conatum potius meum quàm profectum inspiciant. Ac finem præfandi faciens, rem jam ipsam aggredior.

Funebris quidem oratio hæc una est in qua nec fletum ne lamentationem adesse conveniat. Nam

illis quidem mœror debetur qui sic è vita decedunt nihil ut habuerint quod superstites consolari possit. Hujus autem vita optabilissima fuit, mors verò admodum gloriosa; ut tanta cumulatione bonorum viventem morientemque perfunctum lugere ingratiſſimum videatur. Sed in explicatione bonorum quamplurima atque maxima huic sorte quadam divina contigerunt. Primus honor patriæ merito deferitur. Est enim illa primum ac præcipuum felicitatis humanæ fundamentum, parentibus etiam venerationis merito præferenda. A patriæ igitur laudibus incipientes, rectum dicendi initium suscepisse videbimur.

Natus est enim in civitate amplissima atque maxima, lati domini, summæ auctoritatis, Etruscarum quidem civitatum sine controversia omnium principe, Italicarum verò nulli neque genere neque opibus neque magnitudine cuiquam secunda; ad cuius originem civitatis duæ nobilissimæ ac præstantissimæ totius Italiæ gentes coierunt, Tusci veteres Italiæ dominatores, & Romani, qui terrarum omnium virtute sibi & armis imperium pepererunt. Est enim civitas nostra Romanorum colonia veteribus Tuscorum habitatoribus permixta. Tusci autem prima semper Italiæ gens & auctoritate opibusque suprema fuere; quorum ante Romanorum imperium ea potentia fuit ut utrique mari quo Italia cingitur nomen ab hac una gente datum constet, & ab Alpibus ad fretum Siculum, quantum Italiæ longitudo protenditur, ab eadem hac una gente per multa secula imperatum. Ab hac una denique gente cultus deorum immortalium, ab hac una disciplinæ & litteræ in Italiam perlata. Ab hac una omnia pacis bellique ornamenta ceteri Italiæ populi suscepere. Nam de Romanorum quidem potentia, excellentia, virtute, gloria, magnanimitate, sapientia,

magnitudine imperii tacere omnino satius est quam pauca dixisse. Quæ civitas igitur generosior, quæ nobilior, quæ veterum parentum gloria abundantior esse potest? Aut quænam est potentissimarum civitatum in hoc genere laudis huic nostræ comparanda? Digni etiam commendatione majores nostri, qui hanc civitatem per manus suscipientes ita instituerunt atque gubernarunt ut à virtute illorum à quibus orti sunt minimè degenerasse videantur, qui sanctissimis legibus stabilitam rempub. ea sapientia moderati sunt ut exemplo ceteris gentibus bene vivendi essent, ab aliis verò exemplum ipsi non peterent, qui auctoritatem atque potentiam continuo studio ita vel conservarunt sibi vel auxerunt ut, quantum memoria extat hominum, nunquam non caput Etruriæ hæc civitas fuerit. Digni etiam laude & qui nunc sunt in præsentis ætate constituti cives, qui civitatis potentiam de patribus acceptam magis etiam extulerunt, Pisis & aliis quibusdam magnis urbibus virtute & armis ad imperium adjunctis. Neque nunc bella & pugnas & rerum gestarum series commemorandi tempus. Prolixam quippe materiam, & non unius diei sed annalium multorum laborem & operam flagitant. Sed externis vel relictis nunc vel dilatis, in ipso, ut ita dixerim, civitatis corpore prospiciendo contemplandoque insistamus.

Forma reipub. gubernandæ utimur ad libertatem paritatemque civium maximè omnium directa: quæ quia æqualissima in omnibus est, popularis nuncupatur. Neminem enim unum quasi dominum horremus, non paucorum potentia inservimus. Equam omnibus libertas, legibus solum obtemperans, soluta hominum metu. Spes verò honoris adipiscendi ac se attollendi omnibus par, modò industria adit, modò ingenium & vivendi ratio quædam probata & gravis. Virtutem enim probitatemque in cive suo

civitas nostra requirit. Cuicumque hæc adsit, eum satis generosum putat ad rempub. gubernandam. Superbiam verò ac fastidia potentiorum sic vehementer odit ut plures acrioresque in id genus hominum leges quàm in ullam rem aliam sanxerit, donec domitos superbos & quasi adamantinis legum catenis devinctos subdere tandem colla & infra mediocritatem etiam sese humiliare coegerit; ut summi jam beneficii loco concedatur ex grandioribus familiis ad plebem transire. Hæc est vera libertas, hæc æquitas civitatis, nullius vim, nullius injuriam vereri, paritatem esse juris inter se civibus, paritatem reipub. ad eundem. Hæc autem nec in unius dominatu nec in paucorum possunt subsistere. Nam regiam quidem gubernationem qui antefecerunt, eam virtutem in Rege effingere videntur quem in nullo unquam fuisse concedunt. Ecquis enim fuit unquam Regum qui cuncta eorum quæ regno subsunt hominum causa fecerit, nihil verò sui gratia præter nudam nominis gloriam concupierit? Ex quo fit ut monarchiæ laus veluti ficta quædam & umbratilis sit, non autem expressa & solida. Regibus, inquit historicus, boni quàm mali suspiciores sunt, semperque his aliena virtus formidolosa est. Nec multò secùs accidit in dominatu paucorum. Ita popularis una relinquitur legitima reip. gubernandæ forma, in qua libertas vera sit, in qua æquitas juris cunctis pariter civibus, in qua virtutum studia vigere absque suspitione possint. Atque hæc honorum adipiscendorum facultas potestasque libero populo hæc assequendi proposita mirabile quantum valet ad ingenia civium excitanda. Ostenta enim honoris spe, erigunt sese homines atque attollunt; præclusa verò inertes desidunt; ut in civitate nostra cum sit ea spes facultasque proposita, minimè sit admirandum & ingenia & industriam plurimum

eminere. Multitudinem verò civium tam numerosam nostra civitas habet ut præter hanc ipsam innumerabilem copiam in patrio solo degentem, infinita insuper quædam civium vis per universum orbem terrarum diffusa conspiciatur. Nam ut omittam Italiæ urbes, quarum nulla protinus Florentinis civibus caret, ut eos præterierim qui Romæ, qui Neapoli, qui Venetiis, qui Bononiæ, qui Ferrariæ, qui Arimini, qui Mantuæ, qui ceteris Italiæ oppidis consistunt, nullus est tam remotus neque tam avius mundi locus in quo Florentinus aliquis non incolat civis. Nam sive tu Britanniam quæras extremam penè mundi insulam in oceano sitam, permagna tibi illic aderit nostrorum civium multitudo; sive tu Galliam sive Germaniam lustres, permulti etiam ubi minimè opineris cives nostri occurrent. Quid memorem Parisius, quid Barchinonam, quid Avinionem? quibus in urbibus agmina profectò nostrorum civium habitare consueverunt. Nam quid ego de Pannoniis dicam, quid de Sicilia quondam celeberrima insularum? Denique, ne per singula vager oppida, de Tanai atque Maotide ad Herculis columnas & oceanum mare nullus locus vacuus Florentinis civibus reperietur. Quare si omnis absentium multitudo civium nostrorum quæ per universum terrarum orbem variè diffusa est huic præsentium multitudini adjungatur, resultet profectò infinita quædam & innumerabilis multitudo populi, cui nulla penitus civitatum Italicarum in ista quidem parte fuerit comparanda. Ingeniis verò ac intelligentia sic valent cives nostri ut in ea quidem laude pares non multi, qui verò antepoenendi sint, nulli reperiantur. Acritas quidem inest atque industria, & in rebus agendis celeritas & agilitas, animique magnitudo rebus sufficiens.

Nec in moderanda republ. solùm, nec in dome-

stica tantum disciplina negotioque passim optando valemus, sed etiam bellica gloria insignes sumus. Nam majores quidem nostri in pulvere & acie bella complura gloriosissime confecerunt, finitimos omnes populos virtute bellica superarunt, mille cuneos hostium perfregerunt, innumerabilia penè trophæa bellantes constituere. Nostra insuper civitas potentissimis Regibus principes militiæ dedit, scientissimos rei militaris duces procreavit.

Nam quid ego de litteris studiisque nunc dicam, qua una re maxima quidem ac luculentissima principatus concessu omnium civitati nostræ tribuitur? Nec ego nunc de vulgaribus istis mercenariisque, quamquam in illis quoque nostri excellunt, sed de politionibus illis diviniis studiis, quorum excellentia major & gloria sempiterna immortalisque habetur, & loquor & sentio. Quis enim vel nostra vel superiori ætate poetam aliquem nominare potest nisi Florentinum? Quis hanc peritiam dicendi jam planè amissam in lucem atque in usum vitamque revocavit præter cives nostros? Quis Latinas litteras prius abjectas atque prostratas & ferè demortuas agnovit, erexit, restituit, ab interitu vindicavit nisi civitas nostra? Quare si Camillus rectè conditor urbis Romanæ dictus est, non quia condiderit eam ab initio, sed quòd amissam occupatamque restituerit, cur non eadem ratione civitas hæc nostra Latinæ parens linguæ meritò nuncupetur, quam perditam dudum atque profligatam in suum nitorem dignitatemque restituit? Atque ut Triptolemo triticum exhibenti quicquid postea natum est attribuimus, ita civitati nostræ quicquid litterarum politionisque disciplinæ ubique coaluit ferri debet acceptum. Iam verò litterarum Græcarum cognitio, quæ septingentis amplius annis per Italiam obsoleverat, à civitate nostra revocata est atque reducta, ut &

summos philosophos & admirabiles oratores ceterosque præstantissimos disciplina homines, non per ænigmata interpretationum ineptarum, sed de facie ad faciem intueri valeremus. Denique studia ipsa humanitatis, præstantissima quidem atque optima, generis humani maximè propria, privatim & publice ad vitam necessaria, ornata litterarum eruditione ingenua, à civitate nostra profecta, per Italiam coaluerunt. Opibus verò atque divitiis quantum possit civitas nostra vereor ne invidiosum sit inexhaustam quandam magnitudinem pecuniarum referre. Declarat hoc Mediolanensè longissimum bellum incredibilibus penè sumptibus agitatum, in quo supratricies quinquies centena milia impendimus, & tamen promptiores nunc ad extremum in tributo sum homines persolvendo quàm ab initio fuerant belli, ut quasi re divina quædam pecuniarum vis quotidie domi pullulare videatur.

Hanc igitur tam generosissimam, tam laudabiliter institutam, tam populosissimam, tam acerrimam, divitissimam, ornatissimamque patriam nactus hic quem laudamus, permagnam statim ab initio felicitatis partem est à diis immortalibus consecutus; ut in hoc quidem genere bonorum præclaritùs quàm actum est secum agi nequiverit. Neque verò dici potest ut in patria quidem clarissima amplissimaque natus sit, genere autem obscuro & sordido; sed planè sic est, ut quemadmodum civitas hæc ad alias civitates, ita genus hoc ad cetera genera. Est enim familia splendidissima, ornatissima, opulentissima, multis equestribus imaginibus, multis præstantissimis viris clara, & tam domi quàm militiæ summæ auctoritatis, nec ita vetusta ut putrida sit, nec rursus ita nova ut non vetere gloria suorum abundet. Qua quidem in familia Vexillifer justitiæ, qui est amplissimus apud nos magistratus, eo ipso anno fuit

quo primùm in republica à majoribus nostris creari est cœptus. Deditque hæc una gens reipub. domi quidem gravissimos & spectatissimos viros, foris autem strenuos atque bello insignes. Nec deest huic familiæ qui apud majores nostros equitatus Florentini populi dux in bello fuerit, & dimicans cum hoste victoriam reportarit. Multitudine verò gentilium agnatorumque ita hæc familia abundat ut si quis populosissimam eam familiam dixerit, non indigno usus verbo pro rei magnitudine videatur. Divitiis verò usque adeo opulenta ut nonnulli ex ea familia supergressi civilem divitiarum modum, pares regulis opes redditusque possideant. Et à familia quidem talis est, ut ex multis pauca comprehendam. Parentem verò habuit Karolum Strozam. Quem virum, dii boni! quanta gravitate, quanta sapientia, quanta industria, ut non in familia modò, verùm etiam in civitate principis locum perfacilè obtineret. Erat illi patrimonium amplum, sed amplius consilium. Abundabat natorum multitudine, sed multò magis familiari disciplina. Erat in eo divitiarum splendor, sed multò magis eminebat industria. Erat nobilitas generis; sed ipse quoque talis ut ubicunque natus esset, sibi ipsi facturus nobilitatem per virtutis præstantiam videretur. Denique talis vir fuit ut paucos admodum illi pares hæc civitas procreaverit. Videor mihi per gradus quosdam aureos descendisse, siquidem amplissima de patria in clarissimum genus, de genere autem clarissimo in parentem nobilissimum spectatissimumque descenderim. Hæc autem omnia cui evenerint, quis negare potest huic præstantissimam quandam bonorum accumulationem statim ab initio nativitatis suæ contigisse. Sed prima hujus commendatio jam hinc vel incipitur à nobis vel prosequetur quòd propria virtute fretus per omnem vitam subsequutis operibus effecit ut patriæ &

familiæ perdigna soboles haberetur. Et pueritiâ
 quidem totamque illam castissimi diligentissimique
 parentis disciplinam transgressus, cum tandem in
 adolescentiam evasisset, confestim non mercaturis
 neque negotiis obeundis, neque rursus agro colendo
 aut venando mentem intendit; sed cuncta hæc infe-
 riora ducens, equos & arma & gloriam bellicam
 concupivit: quarum sibi rerum quò facultas major
 inesset, relicta patria ad Principes Galliæ profectus,
 Nicolao Estensi adhæsit, cui par juvena atque vo-
 luntas rerumque gerendarum frequens erat occasio.
 Hic ea continuo edens opera quæ generosum invi-
 ctumque deceant animum, cum multis in locis jam-
 pridem claruisset, tandem in expugnatione urbis Ve-
 ronæ virtutem ac magnitudinem animi in periculis
 ostentans, equestribus insignibus donatus honesta-
 tusque est, militiaeque perpetuo fulgore devinctus.
 Hinc ille jam veluti sacris quibusdam se initiatum pe-
 tans, reliquam omnem vitam ita transegit ut juxta
 sapientissimum illud oraculum se ipsum cognoscere
 videretur. Est enim iudicio meo primum quodam
 modo militaris disciplinae fundamentum, se ipsum
 cognoscere, id est, intelligere atque videre quæ sunt
 hominis in ea dignitate constituti partes & munera.
 Ita enim officium suum rectè implere poterit si in-
 telligat quæ dignitas illa religioque efflagitet, vi-
 tamque deinceps suam veluti ad regulam quandam
 institutumque direxerit. Non enim aurum usque
 adeo neque cingulum illustant militem, quamquam
 sunt illa quidem equestris militiae signa, quantum vi-
 ta & opera professioni suæ consentanea: quæ si
 omittat is qui equestri dignitate insignitus est, splen-
 dor ille auri omnino sordescit, & arguere delatorem
 suum exprobrareque videtur, nec tam decus quam
 dedecus sibi afferre. Duram profectò rem, & quam
 pauci cognoscant, pauciores adimpleant. Primum

enim fit oportet in eo qui hac perpetua militiæ religione sacratum magnitudo animi bellorum periculisque capax, sique propositum ejus grande atque elatum, non nisi de fama, de gloria, de amplitudine cogitantis. Bellandi verè peritia excellat; ut si manus conferendæ sint, nec imperitus in suo proprio munere neque ridiculus habeatur, sed pro tempore ac dignitate utilis esse possit. Equi insignes & arma decora magis eum delectent quàm aut convivorum apparatus aut vestimentorum splendor & sumptus. Denique quia miles est, militaria tractare gaudeat. In his magnificentia magis eluceat quàm in reliquis vitæ partibus. Mercimonia verò & quæstus & negotiandi curam ita contempnat atque despiciat quasi certissimum dedecus professionis suæ. Celsiora quædam majoraque affectet, nec pecuniarum cumulationem sed famæ & gloriæ sibi propositam intelligat. Cogitet etiam suorum civium tuitionem & curam sibi per militiam esse commissam, nec quicquam magis officio contrarium suo quàm si aut perniciem aut injuriam civibus machinetur; nec unde salus petita sit, inde scelus emergat. Denique si quid in pace moliat, caveat id ne sordidum sit, neve humile, neve cujusvis, sed elegans, sed admirabile, sed raram, & quod ad dignitatem magnificentiamque referatur. Sit præterea fides incorrupta, & factorum dictorumque virilis constantia, ut nihil protinus agat quod inficiari expediat, nihilque inficietur quod unquam effecerit. Hæc sunt quæ militem intelligere decet ex vi naturæque professionis sibi incumbere, seque ipsum assiduè intueri atque cognoscere, vitamque suam ad hæc ipsa dirigere, ac sese quasi intra claustra quædam hujus propositi continere. Sed qui sunt, quæso, qui hæc adimpleant? Qui sunt qui non quasi transfugæ quidam aberrent? Possum referre permultos qui hanc egregiam dignitatem

ridiculo habuere. Sed nobis non detrahere cuiquam
 propositum est, sed hunc nostrum laudare, et
 hæc omnia sic affuisse comperiemus ut vel cum
 paucis sui ordinis impleffe id munus per omnes of-
 ficij gradus videatur. Etenim quis negare poterit
 magnitudinem animi huic viro egregiam fuisse?
 Quis ejus propositum mentis altum atque elatum
 non fateatur? Domi credo desedit quietas res agere,
 in otio vivere, aut negotium aliquod in civitate ge-
 rere, communi hac nostra consuetaque ambitione
 prestandis civibus magistratibusque urbanis gerendis
 contentus? Atqui licebat sibi hæc omnia facere. Ci-
 vitas erat illustris & florens, familia nobilis, agnati
 gentilesque gratiosi, rerum urbanarum proclivis fa-
 cultas. Sed ipse hæc omnia viliora ducens, nequa-
 quam sibi vivendum existimavit nisi famam & glo-
 riam majoribus in rebus consequeretur. Itaque in ar-
 ma se contulit, pericula capessivit, militiam subli-
 mem egregiamque laudis materiam esse duxit. Nec
 semel tantum prælia iniit, postea verò quievit, sed
 eadem res initium famæ, eademque ipsa res finis vi-
 tæ gloriosissimæ fuit. Peritiam verò bellandi ha-
 buit maximam, utpote qui summo studio ei uni rei
 per omnem vitam præcipuam semper operam dedi-
 set, sæpe dux in bello administrando, sæpe præfe-
 ctus, multisque & variis bellorum casibus exercita-
 tus; in quibus egregia quædam celsitudo cordis ad
 pericula capessenda, & inter ipsa pericula invictum
 corporis atque animi robur apparuit. Itaque fidi-
 ciam suis & terrorem hostibus illius præsentia pluri-
 mum afferebat; & erat utilissimus cum opere, tum
 etiam exemplo. Inter ceteras ejus laudes magnificen-
 tia quædam militaris oculos hominum perstringebat,
 insignium ornatissimorumque equorum apparatus
 ingens, & studium eorum propè nimium ardens; in
 iis atque in decoris armis illius cura propè eximia

versabatur, cum ceteris in rebus esset modestior. Non enim vestitu nimius erat, neque superfluus. Quamquam non deerat illi splendor & cultus, tamen infra normam honestatis coercitus. Sed militiae propria instrumenta equos & arma censebat esse, non vestimentorum vesanam intolerabilemque jactantiam, neque epularum conviviorumque detestandam sumptuositatem. Putabat enim militi fortitudinem convenire, & instrumenta virtutis, non luxuriae, adamabat. Nec de lustris popinisque sollicitus erat, sed de continentia & frugalitate. Hanc enim temperantiam consentanei sequebantur effectus. Necessse est enim qui superfluo erogant, inhonestis impleri. Ex quo fit ut hujusmodi homines prodigi simul avarique reperiantur, ut in consumendo nimij, sic in rapiendo scelesti & turpes. Hujus autem laudabilibus sumptibus laudabilis acceptio respondebat. Nulla in eo rapina, nulla fraudatio, nulla detorsio reperiebatur. Sumptus pro redditu liberalissimus erat, pro dignitate rerum personarumque collatus. Mercimonia vero & quaestus sic abhorrebat quasi certissimam perniciem gloriae militaris. Denique si quid in pace agendum erat, ad ornatum magnanimitatemque referebat. Domus erat hospitalissima ac celeberrima & cum gravitate abundantissima, comites honesti dignitatisque congruentes, familia pudica atque modesta. Eminebatque in ejus vita veracitas quaedam ingenua, procul a fuce & ostentatione. Nihil in eo fictum erat, nihil simulatum, nihil vacillans, sed dictorum factorumque firma immobilisque constantia. Non enim facie neque vultu decipiebat homines, nec aliud verbis, aliud corde gerebat impressum. Gravitas erat in rebus, auctoritas in verbis, fides in promissis. Quod enim serio fatus esset, id factum & immobile censebat esse, nec mutari quidem id vel occultari licere. Nihil

enim turpius magno viro existimabat quam inconstantiam & vacillationem. Recta igitur & simplex & ingenua vivendi ratio in illo conspiciebatur, firmaque & immobilis, ut ita dicam, fidelitas. Nec illi modò inter cives atque amicos, sed apud omne genus hominum eadem utebatur vivebat constantia, ut si quid etiam hostibus promississet, sacrosanctum & inviolabile haberetur. Nam hostes quidem homines intelligebat esse, & virtute, non fraude vincendos censebat, promissaque & humanitatis jura illis servanda existimabat. Patriæ verò salutem usque adeo caram habuit ut huic uni se rei maximè natum arbitraretur. Ostendit verò id tota vita, quæ sic ab eo transacta est ut cuncta retulisse ad patriam videretur. Nam primæ quidem illæ artes quibus adolescens summa cum laude exercitatus est, præparamenta quædam fuere ad fortitudinem comparandam, honestissima quidem possessio, ac laudis acquirenda instrumentum permaximum. Ea siquidem virtus una est quæ homines magis illustrat quam ulla virtutum ceterarum. Itaque res bellicæ pacis artibus sine controversia præferuntur. Est verò proprius earum campus in patria protegenda atque tutanda. Nemo autem potest fortitudinem habere nisi usu exercitationeque illam adeptus. Non enim innascitur virtus illa nobis, neve quasi infunditur, sed experiendo agendoque acquiritur. Propositum igitur ejus magnanimum exercitationem, exercitatio autem virtutem, virtus verò gloriam comparavit. Quarum autem rerum finem conspicimus, ejus rei gratia res fuisse confitendum est. Prælia ergo juventæ totaque illa certaminum meditatio ceu athletarum præparamenta fuere ad famam, ad gloriam, ad amplitudinem claritatemque nominis per fortitudinis opera comparandam. Fortitudinem verò patriæ maximè se debere putabat, eique per omnem vitam accumulatissimè

missimè præstitit. Prima ejus opera secundo Mediolanensi bello eluxit. Quo in tempore cum hostis rebus Etrus cismira calliditate se inferens civitates primo inter se conflictatas atque defessas quasi per favoris speciem in suam potestatem ditionemque recepisset, ac tandem Bononiam occupasset, insurgentibus contra vim ejus nostris ac majore conatu rem capessentibus, tunc primum adolescens incredibili magnitudine animi laborumque patientia in ea expeditione militavit. Quo quidem in tempore ita se gessit ut indoles ejus miro favore omnium probaretur. Bononia deinde recepta, cum hostium opes fractæ ac pluribus locis pulsæ in extremum se contraxissent, tepescentibus nostrorum aliis & post longam militiam quietem respicientibus, hunc ceu generosum carulum aviditate insequendi pertractum non laborum magnitudo, non periculorum formido, non montes interpositi, non fluviorum cursus, non interjectæ paludes remoratae sunt quò minus ad ipsa, ut ita dixerim, lustra ferarum indeficibili cursu penetrasset. Præfectus siquidem equitibus ad persecutionem hostium missus non antè destitit quam transversis difficilissimisque itineribus in agrum Mediolanensem transgressus, populata regione, arma atque signa nostra in ipso propè hostilis urbis vestibulo posuerit, longèque & latè vastato agro, cunctisque belli cladibus regione afflicta, magnis rebus gestis, inclitoque inde nomine parto, ingenti cum gloria remeavit. Post hæc alia militia ad Veronam suscepta, consilium quidem in rebus ambiguis, fortitudinem verò & audaciam in periculis ostendens, oculos omnium in se unum convertit, probatus quidem duci, militibus verò carus, omnibus locis omnibusque temporibus perutilis cognitus. Qua quidem in expeditione ob præstantem egregiamque virtutem insigniri tandem donarique promeruit. Sed ceteris omissis quæ vel suo vel

Q

alieno auspicio multis variisque locis egregiè gessit, ad extremum ejus inclitum factum atque ad hoc hujus belli tempus festinat oratio.

Quemadmodum bellum hoc ab initio constatum sit, & quàm lætum habuit principium, ac velut serpens latitando dissimulandoque irrepfit, omnibus nobis notum existit. Cùm enim vires hostium per pacis speciem negligentius observatæ brevi quidem spatio mirabili successu in formidabilem potentiam evasissent, & non pacem ab hoste quæsitam sed bellum esse dilatum appareret, ac jam contra sceleris apertissimè veniretur, suspicionibus variis non frustra nec indignè coortis, confestim hic assurgens pietatem debitam patriæ in medium protulit. Quod enim familiaritas & amicitia sibi privatim fuerat cum hoste, ad illum profectus & rogare ut Principem & obsecrare ut potentem & monere liberis perrexit, multaque illi jam inde augurari atque prædicere. Et fuit magna quidem spes ab initio componere posse, & ultro citroque scœpius remeavit. Tandem verò cùm mala prævalere consilia videret apertèque rem ad bellum spectare, in patriam reversus arma & honesta & necessaria cepit, & caput pro salute civium suorum periculis objectavit. Vtrumque meretricule summa cum laude. Nam & bellum ne exitum occurrere atque obviare boni & prudentis est civis, & postquàm mederi non possis, sese periculis objectare fortis viri laudibus est ascribendū. Et utrumque certè pietatis opus, & consilio bellum & armis opprimere.

Multa post hæc vel culpa vel prodicione duorum nostrorum consecuta sunt, & aliquot clades obiter acceptæ; in quibus illud de hoc præstantissimo viro dicere licet, non defuisse ullis in locis publicæ rei, & inter ipsas clades magnum invictumque robur animi præstitisse, ut nec prosperis elatum rebus, ita nec fractum adversis. Relevata deinde civi-

tate nostra ob Venetorum societatem, cum hostium
copiæ Flaminiam Etruriamque relinquere in Gal-
liamque se referre domestici metu periculi cogeren-
tur, & omnis eò belli moles depulsa esset, insecutus
hostium vestigia nunquam destitit, nec ullo unquam
per Galliam loco defuit expeditionibus nostris. Mul-
ta post hæc pericula variæque pugnae per Galliam
consecutæ sunt, utpote inflammatis utrinque ani-
mis longitudinem suscipiente bello. Post multos va-
riosque casus ac belli vices, cum tandem pax recepta
quidem ab hoste, sed paulò post nequaquam servata,
majorem in modum animos irritasset, eximio rursus
studio certamen susceptum est, apparatusque mayo-
res de industria facti, copiæque ingentes hinc inde
contractæ quantas nec antea per Italiam nostra aut
parentum nostrorum memoria fuisse accepimus, &
quarum magnitudinem vix creditura posterior ætas
videatur. Cum igitur placuisset totis copiis hostem
invadere, vocatus hic eximius vir ex agro Parmensi,
tibi distinendi avertendique hostis causa fuerat collo-
catus, cum equitatu nostro in majora castra profe-
ctus sese duci conjunxit. Inde hostilem ingressi, cum
aliquot jam castra movissent, apud Gotholingum
hostium castellum prælium atrox & periculosum, non
ex præparato & aperto, sed ex insidiis commissum est.
Nam hostes quidem dissimulanter nimis atque otiosè
superioribus diebus nusquam se offerentes, cognito
nostrorum proposito, in oppido ne suspicantibus qui-
dem nostris antevenerant, collatisque insidiis adven-
tum nostrorum militum præstolabantur, non damnia-
licius aut prædæ spem, sed totius exercitus nostri ver-
suram fugamque & plenissimam sibi victoriam pro-
ponentes. Nam & hostium copiæ permagnæ erant, ac
viri delecti. Insidiæ verò & repentina vis spem con-
ficiendi maximam afferebat. Cum igitur ante castel-
lum pervenissent nostri, & labor itineris & calor in-

Qij

credibilis, qui præter solitum ea die exarserat, viros pariter equosque fatigasset, & monstrato castrorum loco, pars tabernaculis parandis, pars reficiendo corpori intenta esset, repente ex insidiis prosilientes hostes magno & alacri impetu nostros invasere. Fuga primo nostrorum & dissipatio maxima. Hic quantum inter externi militis ac civis amorem interfit perfacile apparuit. Ceteri enim nihil magis quam salutem propriam aestimantes è vestigio cesserunt; hic autem caritatem patriæ saluti propriæ anteferens obtulit sese statim pugnae, corporeque suam viam claudere hostibus perrexit, compellans commilitones atque adhortans, hostique manu & pectore resistens, imperum omnium aliquandiu sustinuit. Et quo factum est ut vis illa acerrima retardaretur hostium, & nostrorum quidam verecundia victi converterentur. Ita incrudescente pugna, cum undique permulta & acciperentur vulnera & inferrentur, tandem hic fortissimus vir gloriosissime corruit, unoque tempore & ipse sublatus nostrorum manibus in castra semianimis relatus est, & hostes vi fracti & ad mœnia repulsi. Quo quidem hujus diei casu in dubio stetit, ut minimè ambiguum sit, si hostes, ut sperarunt, primo illo imperu nostros dissipassent, quin plena eis victoria totius belli atque certaminis fuisset proventura. Quod ne accideret, hujus eximia virtute & paucorum concursu atque auxilio factum esse constat.

Ego igitur tuam hanc egregiam fortitudinem, tuam hanc egregiam operam patriæ ac civibus tuis & libertati impensam laudare magis cupio quam pro meritorum magnitudine laudare possim. Non enim tu operam modò neque laborem aut industriam, sed vitam tandem & sanguinem patriæ impendisti. Abiecasti animam pro patriæ caritate, vitam tuam patriæ honori & gloriæ posthabuisti, vir verè nate patriæ

ac civibus tuis, fortitudinis exemplar, ac summi viri gloriam non immeritò consecute. Est enim fortitudo splendidissima virtus, ac nescio an supereminetissima virtutum ceterarum, plena spiritus, plena vigoris, plena justissimæ animositatis, mascula profectò quædam atque invicta. Honoratissimam verò esse omnium ex eo patet quòd statuas defunctorum videmus ferè militari habitu insignitas, quasi excellentissimum sit in eo genere laudis potissimum claruisse. Hujus enim propriè campus in bello existit, in maximo certè pulcherrimoque periculo. Bellum autem justius esse nullum potest quàm quod aut laceffitus referas, aut pro patria libertateque suscipias. In hac igitur vir fortis maximè excellit; & pericula celso invictoquo animo capeffere assuetus, & præsentia tolerat intrepidè, & imminetia non pavidè nec inconstanter expectat; facitque hæc omnia non temerè nec fortuitu, nec perturbatione aliqua tractus, sed firmo stabilique judicio per electionem suscepto. Non enim ignorat se ipsum vir fortis, nec in periculis obliviscitur sui; sed novit se, ac vitam suam plurimi facit, & caritate suorum permaximè distinetur. Attamen ista, quamvis grandia, quamvis carissima & jocundissima, posthabere decernit, quò pietati, patriæ, honestati que non desit. Intelligit enim se & procreationem & alimoniam & eruditionem & cuncta humanitatis munera à patria suscepisse, illicque vitam, si tempus exigat, non tam impendere quàm reddere debere. Itaque mortem & vulnera ac cetera dolorosissima sibi atque asperrima perferre mavult quàm à pietatis debito honestatisque discedere. Quæ quidem omnia huic generosissimo viro contigisse videmus. Bellum erat pro patria, pro libertate, pro salute civium susceptum, quod laceffita primò civitas tunc justissimè referebat, periculum ab hoste ingens atque horren-

dum, Neque enim de fama tantum & gloria civitatis nostræ, quamquam & ista quidem per se à præstantibus viris maxima sunt æstimanda, sed de libertate, de penetibus, de aris atque focis, de vita denique & sanguine civium suorum in eo prælio certamen esse propositum intelligebat. Vincente enim hoste, non obscurum erat quas strages ea victoria secum foret tractura. Hæc igitur ille intelligens atque considerans, nihil non potius subeundum arbitrabatur. Sed inflectebat rursus illum vitæ amor, & multa quæ sunt jocundissima ad vitam invitabant. Ante oculos versabantur gratia, opes, divitiæ, dignitas, existimatio, prosperitas, ætas adhuc viridis, & præterea multa corporis animique bona dulcissimam sibi vitam faciebant. Cùm verò de filiis amantissimis ac de fidelissima conjugè cogitabat, mirum in modum ea relinquere discruciabatur. In ea conflictatione vehementissima quidem atque perceleri patriæ caritas amorque pervicit. Impendamus, inquit, patriæ quam debemus pietatem, nec ullum pro ea periculum evitemus. Vitam autem & filios & cetera nobis jocundissima si cum dignitate retineri possunt, retineamus; si non possunt, æquo animo relinquamus. An me fugientem turpiter atque abjectè dignum iis quæ possideo bonis ego me amplius æstimabo? Et custos meorum civium proderè potius illos quàm mori sustinebo? Absit à me tanta fœditas atque ignavia. Cuncta mihi honestate atque decore inferiora sunt. His ille rationibus victus ac ceu facibus quibusdam instigatus, hostibus se cum equitatu, ceteris fugientibus trepidantibusque, objecit. Ejus primùm opera atque manus, mox & exemplum, quod alii quidam è nostris pudore adducti secuti sunt, victoriam de manibus hostium manifestè eripuit. Qualis verò fuerit ejus animus, postea conspectum est. Cùm enim semianimis relatus

in castra post aliquandiu resipuisset, nihil prius quam an vicissent nostri, hostesque repulsi essent, interrogavit; & cum victoriam nostrorum intellexisset, lætissimus expiravit, Epaminondam præstantissimum ducem in eo casu imitatus, cui par ferè mors atque lætitia fuit suprema.

Tua igitur mors, virorum fortissime, talis profecto fuit qualem antea tua vita professioque tua flagitabant, gloriosa quidem opere & fortitudini maxime consentanea, tibi laudem eximiam, civibus vero tuis & decus & salutem & exemplum constantiæ virtutisque paritura. Sed quid tibi referat hæc civitas pro tantis meritis tuis? Quo honore, quo præmio tantam virtutis præstantiam prosequatur? Non est non est externi præmii locus. Ipsa in se benefacta præmium habent. Est autem rectè factorum fructus maximus illa fecisse. Horum conscientia sublimes alit animos, & gaudere iis ipsis & acquiescere facit sibi gratulantes atque plaudentes. Hoc est verissimum & certissimum præmium à Deo virtuti ipsi constitutum atque annexum, quod neque eripi illi neque auferri potest. Neque fraudatur illo unquam virtus, neque privatur. Hoc itaque tibi præmium erit. Est & aliud præmium secundo quasi loco virtuti propositum, non jam in se ipso, sed in aliis consistens, pro benefactis honor & gloria. Neque enim silebuntur unquam virtutes tuæ, neque postera ætas tuam gloriam conticescet; sed eris in ore atque sermone civium tuorum, ac tuis verissimis laudibus commendationibusque affecti nomen tuum & favore eximio & gratulatione perpetua prosequentur. Quod si quis est qui hæc ad eos qui vita excefferunt pertinere non putet, valde aberrat. Non enim intereunt animi nostri, neque morte sensus extinguuntur; neque præmia virtutis hoc per brevi vitæ spatio finiuntur, sed manent animi nostri atque persentiunt. Neque enim

Q iiij

summos viros tanta posteritatis cura teneret, ne quid homines de se post mortem existimaturi forent usque adeo laborarent, si aut interirent animi nostro morte, aut virtutis præmia hoc exiguo vitæ spatio finirentur. Cùmque patria sua cuique sanctissima sit, ac pietas maxima illi debeat, qui pro illius salute libertateque bellando ceciderunt, nequaquam ambigendum est sempiterna illis præmia in cælis esse reposita. Nos igitur his rationibus beatum hunc & viventem & morientem non immeritò ducimus, cùm prosperitate rerum externarum, quæ illi præcipua & illustrissima contigit, tum multò magis ob animi bona, quæ fortitudine, modestia, ceterisque virtutibus splendidissimè continentur, vita cum omni dignitate prosperitateque transacta, & mortis genere admodum glorioso, publici insuper funeris honore & perpetua civium suorum commendatione felicem.

ORATIO POGGII IN FUNERIBUS
Leonardi Aretini.

Ann. 1443.

Hodiernus, Florentini, dies atque hic publicis mæror communi voluntate susceptus declarata quanta hujus præstantissimi atque omni laude dignissimi viri virtus extiterit, & quàm cara & gratæ universæ sit civitati, cùm videamus omnes magistratus hujus urbis, omnium ordinum consensum, universum populum ad ornandam hanc funeris pompam una mente suis deceris ultro in eandem sententiam convenisse. Nullus est enim qui se civem esse existimavit qui non suum studium atque operam præstitit ad cohonestandas hominis exequias optimè de repub. meriti, & ejus cui parem rara secula protulerunt, Magnum quippe & præclarum hoc testi-